

ostendit: itaque eum Patres liberaliter exceperunt. Confulto deinde Senatu, omnibus ad unum suffragiis, quod raro fieri assolet, oblata Helvetiorum accepta, & quæ petierant, eis promissa. Interim Julio magnopere hortante, ut quæ petierat Albertus Matthæi Episcopi nomine, ea illi concederentur, Senatusconsultum factum est, uti de quatuor obsidibus in Germaniam mittendis, totidemque triremibus Matthæo dandis, omni ex parte Alberti postulatiioni satisfaceret. neque tamen obsides sunt missi, Alberto ipso non multos post dies ex Maximiliani literis apud Patres pronunciante: quoniam is Romæ per Julium perque suos internuncios agere, quæ agenda erant, cum republica statuerat, non opus esse ut mitterentur.

Gradonico autem legato in Carnis non sat prospere bellum administrante, cum ob durum & intractabile anni tempus, bruma enim appetierat, nivosis præsertim & frigidioribus in locis: tum vero propter stipendia non in tempore persoluta, & commeatus inopiam, quem direptis oppidis & vastatis agris plerunque ab urbe subvehi & expectari oportebat: a mari autem per continentem eo usque omnia ob boum & jumentorum infrequentiam tarde & difficulter afferebantur: Grittus legatus cum ea quam habebat manu Senatus jussu Feltriam venerat. itaque cum Gradonicus suo exercitu Gradiscas oppidum cinxisset, tormentisque positis parum proficeret, Senatus statuit, ut Grittus eo accederet, suasque copias cum illius copiis conjungeret. neque tamen ea re Gradiscæ capi ab illis potuerunt, utriusque militibus & equitibus & præfectorum plurimis a tanto se labore subtrahentibus. His rebus Senatui palam factis, quod Helvetii in fines Mediolanensium jam irruperant, castellaque nonnulla ceperant, Senatus literas ad Grittum dedit: si se paucorum dierum spatio in Gradiscis capiendis nihil profecturum esse intelligit, Vicetiam suis cum copiis redeat, ut Helvetiis auxilio possit esse. Dum eæ literæ perferuntur, legati ambo Vipulzanum & Martinianum & Florianum castella in collibus posita, acriter cum Maximiliani militibus, qui ea tue-

*Gradisca
frustra a
Veneris op-
pugnantur.*